

cœlo genitis haberet. Hæc ad instar Planetarum non secundum rectas lineas, sed in circulis ac Ellipsis moveri, ac tum demum conspicua fieri, ubi ad perigæum sui circuli vel Ellipseos descendunt, eo magis ipsi verosimile videbatur, quo certius sibi eosdem Cometas sæpius rediisse persuaserat. Exemplum esse credidit Cometam anni cIo Io c LXIV, quem eundem statuit cum eo, quem *Cysatus* aliique anno cIo Io c XVIII observarunt, utpote qui eodem fere tramite, per eadem Zodiaci signa, iisdem anni mensibus incessit. Cui conjecturæ multam fidem alia fecit observatio, quæ per æqualia annorum 46 (quanto scilicet hi duo ab invicem distant) intervalla, retro numerando, sæpius Cometas conspectos esse docuit. Atque ita quidem maximum, quod *Hevelianam* premit hypothesis, dubium, unde Cometarum motus oriatur, facillime sublatum esse credimus, siquidem jam similis, quæ ceteros movet Planetas, Mundo coæva causa allegari potest; sed alias, nec minus graves, circa alia quædam phænomena, natas esse difficultates, statim patebit. Eam quidem, quam *Sturmius* l. c. Cap. V num. IX tangit, fore nimirum, ut, si solidum Cometa esset corpus, caudæ primordia obscurerentur, merito omittimus, cum ipse, supposito corpore Cometarum semilucido, superatam eam esse agnoscat; at enim vero aliquam considerationem merentur, quæ circa motum & caudam moveri queunt ex *Petiti* hypothesis difficulter solvendæ. Quando enim caudas de novo generari, corporibusque mundo coævis, eodem modo quo *Hevelius* suis temporariis, in via adnasci *Petitus* affirmat, nescio quam forte peculiarem proprietatem ac fabricam in Cometis fingit, ut, quamobrem his & non aliis Planetarum corporibus hujusmodi effluviis appendices

Difficultates
nonnullæ
hanc hypo-
thesin pre-
mentes.